



## Universitätsbibliothek Paderborn

### Historiae Ecclesiasticae Pars ...

HISTORIAE EC||CLESIASTICAE PARS || PRIMA, QVA CONTI-||NENTVR ||  
Eusebij cognomento Pamphili Cæsareæ Palæ-||stinæ Episcopi lib. 10.||  
Eiusdem de vita Constantini magni lib. 4.|| Oratio Constantini magni ad  
sanctoru[m] cœtu[m].|| Oratio eiusdem Eusebij in laudem Constanti-||ni  
magni ad trigesimum ...

**Christopherson, John**

**[Köln], 1569**

Contra tyrannos & persequutores, & de capto Valeriano. Cap. XI.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-29861**

Bonitatis enim & mansuetudinis officiis placatur : comple-  
 ctens mites : turbulentos auersans : amans fidem, coercens  
 infidelitatem : omnemq; cum superbia iunctum domina-  
 tum perrumpens : arrogantium vim reprimens, quos fastus  
 extulit de solio deturbans : humiles & iniuriarum perferen-  
 tes iustis præmiis afficiens. Eodem modo iustum etiam im-  
 perium magni faciens suis subsidiis & opibus communit  
 regiamq; prudentiam pacis tranquillitate conseruat.

*Contra tyrannos & persecutores, & de capto  
 Valeriano. CAP. XI.*

**M**inimè sane errare mihi videor, frater mi, si hūc solum  
 Deum profiteor omnium ducem & parentem : quem  
 multi hic cum imperium tenerent : insanis erroribus  
 agitati, respuere & aspernari conati sunt. Sed horum tam a-  
 cerbus exitus fuit, vt omnium mortalium iudicio, illorum  
 calamitates, exempli loco proponerentur similia scelera  
 persecutibus. In hoc numero illum vnum fuisse arbi-  
 tror, qui diuina ira tanquam aliquo fulmine ex hoc loco  
 deiectus : in vestras oras delatus est : patefacto de sua famo-  
 sa turpitudine triumpho nostro. Sed illud bene cecidit,  
 quod nostris potissimum temporibus in eiusmodi facile-  
 gos tale supplicij exemplum æditum sit.

*Quod persecutorum casus viderit, & quod nunc pa-  
 cato animo sit, parata Christianis pace &  
 tranquillitate. CAP. XII.*

**N**AM & mihi contigit nonnullorum exitus animad-  
 uertere : qui paulo ante populum Deo consecratum  
 nefandis edictis perturbauerant. Quapropter immor-  
 tales Deo gratias ago : quod singulari prouidentia vniuer-  
 sum hominum genus, qui diuinam legem colunt ac ve-  
 nerantur : restituta pace, incredibili lætitia & voluptate af-  
 ficitur. Ex quo facile mihi persuadeo optimo tutissi-  
 moque statu omnia collocata esse : cum per eorum castam  
 & acceptam colendi Dei rationem, & ipsorum inter se  
 de diuina natura consensionem, omnes ad se Deus rapere  
 & colligere dignetur. Hunc præclarum hominum cœtum